

**Landesbibliothek Oldenburg**

**Digitalisierung von Drucken**

**De Imposturis Religionum breve Compendium [CIM I 58]**

**[Deutschland], [nicht vor 1716]**

[urn:nbn:de:gbv:45:1-98694](#)

CimI  
58












De  
Imposturis Religionum  
breve Compendium.

Descriptum ab Exemplari manuscripto,  
quod in Bibliotheca Joh. Frider. Mayeri,  
Theologi, publice distracta Berolini An-  
no 1716. deprehensum, et a Principe  
Eugenio de Sabaudia  
xxc. Imperialibus fuit redentum.





N

F,

1e



3. v. Lact.

Deum esse, eumque colendum esse, multi  
disputant, antequam, et quid sit Deus,  
et quid sit Esse, quatenus hoc corporibus  
et spiritibus, ut eorum fert distinctio,  
commune est, et quid sit celere Deum.  
intelligant. Interim cultum Dei ad men- 5 explicit;

Nam quomodo differat ab aliis rebus,  
per negationem sistorum conceptuum  
effrantur necesse est; Esse infinitum Ens,  
id est, cuius fines ignorant, comprehen-  
dere nequeunt; Esse creatorem coeli et  
terrarum, at, quis ejus sit creator, non  
dicunt, quia nesciunt, quia non com-  
prehendunt. Alii ipsum sui principium  
dicunt, et a nullo nisi a se esse contendunt,  
itiplem ii dicentes quid, quod non intelli- 1-ibi  
gunt. Non, ajunt, capimus ejus principium;  
ergo non datur. Cur non ita: non  
capimus ipsum Deum, ergo non datur.  
Atque haec est ignorantia prima regula.  
Non datur processus in infinitum; cur  
non? quia intellectus humanus in ali-  
quo subsistere debet; Cur debet? quia  
solut,



folet, quia non potest sibi aliquid ultra  
suos fines imaginari, quasi vero sequa-  
tur [lego] non capio infinitum, ergo non  
datur.) Et tamen, uti experientia no-  
tum, inter Messiae sectarios aliqui pro-  
cessus infinitos divinarum, sive propri-  
etatum sive personarum, de qua cum  
definitionibus tamen lis est adhuc, et  
sic omnino dari processus in infinitum  
statuunt. Ab infinito enim generatur  
filius; ab infinito spiratur Spiritus  
sanctus, et in infinitum generatur,  
proceditur. Si enim coepissent, aut  
si semel desinerent, generatio ista et spi-  
ratio, aeternitatis conceptus violaretur.  
Quid si etiam in hoc cum ipsis conve-  
nias, quod hominum procreatio non  
possit in infinitum extendi, quod ta-  
men propter finitum suum intellectum  
ita concludunt, nondum exinde con-  
statibit, anne et suo modo aliae inter  
superiores generationes eaque tanto nu-  
mero fuerint ac hominum in terra, et  
quis ex tanto numero pro Deo praece-  
pit recipiendus? Nam et mediatores  
Deos dari, omnis religio concedit,  
quambis



quamvis non omnes sub aequalibus termi-<sup>5</sup>  
nis. Unde illud principium: En supra  
hominem per naturam suam elevatum  
debere esse unum, labefactari violetur.  
Atque inde ex diversitate deorum pro-  
generatorum diversitates religionum et  
varietates cultuum postmodum ortas  
dici poterit, quibus potissimum Ethni-  
corum ntitur devotio. Quid autem ob-  
jicitur de cœdibus aut concubitu Deo-  
rum paganorum, præterquam, quod hæc  
mystice intelligenda sint, sapientissimi  
Ethnicorum jam dudum ostendere simi-  
lia in aliis comprehenduntur; strages tot  
gentium, urbium et hominum per Moysen  
et Iosuam Dei iussu perpetratae, sacrifi-  
cium humanum etiam Deus Israelis Ab-  
raham injunxit, effectus non secutus  
quidem in casu extraordinario. Nil au-  
tem jubere poterat, aut serio juberi ab  
Abrahamo credi poterat, quod profus  
et per se Dei naturæ aduersum fuisset.  
Mahomet in præmium sua superstitutionis  
totum orbem pollicetur, et Christiani  
passim de strage suorum inimicorum et  
subjagatione hostium Ecclesia vaticinan-  
tur, quæ sane sœpe nec exigua sunt, post-  
quam



quam Christiani ad Rerum publicarum  
gubernacula sedderunt. Nonne polygamia  
per Mahumetem et Mosen introducta,  
et ut pars disputat, in Novo Testamento  
etiam concessa? Nonne Deus Spiritus  
sanctus peculiari conjunctione ex vir-  
gine despensata Filium Dei progenera-  
vit? Quae reliqua de ridiculis idolis,  
de abusu cultus Ethnicis objiciuntur,  
tanti non sunt, ut nec paria reliquis  
sectariis objici queant, qui tamen abu-  
sus a chiniſtris potius quam principi-  
bus, a discipulis potius quam magistris  
religionum provenisse, facili labore mon-  
strarri potest.

Ceterum, ut ad priora redeam, hoc  
Ens, quod intellectus processu determi-  
nat, alii naturam vocant, alii Deum,  
aliique in his convenient, alii differunt;  
Quidam mundos ab eterno somniant,  
et rerum connexionem vocant Deum,  
quidam Ens separatum, quod nec vi-  
deri nec intelligi potest, quamvis et  
apud hos contradictiones non infre-  
quentes sint, Deum vocant. Religio-  
nem, quatenus concernit cultum, alii in

in metu invisibilium potentium, alii in amore ponunt. Quod si potentes invisibile<sup>5</sup>  
falsi sint, idololatria efficitur una pars  
mutuo ab altera, prout sua cuiusque prin-  
cipia. Amorem ex benevolentia nasci vo-  
lunt, et ad gratitudinem referunt, cum  
tamen ex sympathia animorum hic po-  
tissimum oriatur, et inimicorum bene-  
facta odium gravius maxime stimulent,  
licet id hypocritarum nemo confiteri au-  
sit. At quisnam amorem ex benevolen-  
tia ejus emanare statuat, qui homini le-  
onis, ursi, et aliarum ferocium bestiarum  
particularis indicit, ut naturam contra-  
riam inclinationi creatoris induceret?  
Qui non ignorans debilitatem humanae  
nature, arborem ipsis posuerit, unde cer-  
te norat, reatum istos hausturos sibi et  
omnibus suis successoribus [uti quidam  
volunt] exitialem; Et hi tamen quasi  
pro insigne beneficio ad cultum vel ad  
gratiarum actionem teneantur? scili-  
cet hoc Ithacus velit; [Manu in illi immur-  
sis per diligem, alb. vir. & r. z. laugem.] et c.  
Arripe mortalia arma, e. q. ensem, si  
certissima praesentia tibi constat, [quam  
tamen]



<sup>8</sup> tamen et alii, quoad contingentia in Deo  
non dari adstruunt] hoc ipso eum, cui ob  
oculos ponis, arrepturum, seque et suam  
progeniem omrem miseranda morte in-  
teremturum, cui adhuc aliqua huma-  
nitatis gutta super erit, horrebit talia  
perpetrare. Accipe, inquam, gladium,  
ex: gratia: qui pater es vel amicus, et si  
pater vel amicus genuinus es, objice  
amicis liberis cum iussu, ne incurvant,  
citra omnem dubitationem tamen eos  
incurvuros; et miserandam stragem sicis,  
iisque adhuc innocentibus [suorum, eo-  
rumque adhuc innocentium] clatueros  
prævidens. Cogita, qui pater es, an ejus-  
modi quel facturus es? Quid est lu-  
dibrium prohibitioni afferre, si hoc non  
est? Et tamen Deus hac præcipisse cle-  
buit. Hunc ex benefacto suo colendum  
volunt, quia, ajunt, si Deus est, colen-  
dus est; simili modo, uti inde colligunt:  
Magnus Magot est, ergo colendus; Co-  
lunt enim eum etiam sui, sed cur? ut  
nempe impotenti ejus, et omnium Magna-  
tum fastui satisfiat, nil ultra. Colitur  
enim potissimum ob metum potentiae  
visibilis,

visibilis, hic morte ejus excolectit, spemque  
deinde remuneracionis. Eadem ratio in cul-  
tu parentum et aliorum capitum obtinet.  
Et quoniam potentia in visibiles graviores  
et maiores habentur visilibus, ergo etiam  
magis colendas esse volunt. At qui hic  
Deus, inquietunt, ob amorem colendus.  
At, quis amor innocentes posteros, ob uni-  
us certo prævisum et proin et præordi-  
natum lapsum [præordinatione de con-  
cedendo ad minimum] objicere reatu  
infinito? Sed redimendos inquis; At  
quomodo? Pater unum filium misericordie  
addicit supremæ, ut alterum crucia-  
tibus haud minoribus tradat propter  
prioris redemptionem; Nil tale neverant  
Barbari! At cur amandus, cur colen-  
dus Deus est? Quia creavit. Esto!  
Ad quid <sup>vero</sup> creavit? ut laboremus? quia  
certo præscivit lapsuros, et medium pro-  
posuit pomì vetiti, sine quo labi non po-  
terant. Esto tamen, colendum esse, quia  
ab eo omnia dependent in fieri, addunt  
tamen alii inesse quoque et conservari.  
Quem in finem colendus? An ipse cul-  
tus indigus aut cultu placatur? Ita  
quidem



quidem est, parentes et benefactores coluntur apud nos; sed quid hic cultus est?  
 Societas humana mutua indigentiae propicit, et cultus est ob opinionem potentiae nobis subveniendi majoris et proprioris. Subvenire nemo vult alteri sine mutuo adjumento suæ quoque indigentiae, quod quia hæc pars tantum non indiget, agnitus beneficii et gratiae vocatur, quo majorem recognitionem sui beneficii postulat, utque exinde celebretur, alter ei ad manus velut perdiscequus sit, ut claritatem etiam et suspicionem magnificentiae apud alios suscitet. Scilicet opinio aliorum de nostra potentia subveniendi particulari vel communii indigentiae nostillat, et cristas pavonis instar erigit, unde et magnificencia inter virtutes est. Ast quis non videt imperfectionem hoc esse nostræ naturæ? Deum autem omnium perfectissimum indigere aliqua re, quis dixerit? Velle autem ejusmodi, si perfectus sit, et jam in se satis contentus et honoratus circa omnes extra cum honores, quis dixerit,  
*nisi*



nisi qui indigere eum? Desiderium hono-<sup>rr</sup>-  
ris, imperfectionis et impotentiae signum  
præbet. Consensum omnium gentium hoc  
in passu urgent aliqui, qui vel solos popu-  
lares suos vix omnes allocuti, vel tres  
aut quatuor libros de testimonio universi  
agentes inspexerunt. Quantum vero de  
majoribus auctori, et de moribus univer-  
si constet, non perpendentes; At nec boni  
illi autores omnes norunt. Nota tamen,  
de cultu fundamentum in ipso Deo aut  
operibus ejus, non in solo alicuius soci-  
etatis aliquo interesse habente, quarren-  
dum, questionem hic esse. Nam in usu  
id esse potissimum imperantium et clivi-  
tum in Republica, ut exteriorem ali-  
quam religionis rationem habeant, ad  
emolliendam ferociam populi, nemo est  
qui non intelligat. Ceterum de priori  
ratione sollicitus, quis in principali  
Christianæ religionis sede: Italia, tot  
libertinos, et ut quid gravius dicam,  
tot atheos latere credat? et si credi-  
derit, quis dicat, consensum omnium  
gentium esse: Deum esse, eum colendum  
esse? Scilicet quia seniores saltem id  
dicunt.



12.

dicunt. Quinam seniores? Summus Pon-tifex, Augures et Aruspices veterum, Cicero, Cœsar, Principes et his adhæ-rentes sacerdotes. Unde vero constat, quod sic statuant, uti dicunt, et non ob interesse suum talia præseferant? Hi nempe ad gubernacula rerum se-dentes, et redditus ex populi creduli-tate capientes summam invisibilem potentiam et vindictam minati, et suam quandoque cum his intimorem collationem et nexus ementiti, pro sua luxuria idoneos vel excedentes sibi acquirunt. Sacerdotes talia do-cere mirum non est, quia hæc ratio vite ipsorum sustentanda est. Et hæc sunt ea seniorum dictamina.

Dependeat hoc universum a directi-one primi moventis, at vero id depen-dentia prima erit. Quid enim impe-dit, quo minus talis primus Dei ordo fuerit, ut omnia cursu semel praestitu-to irent, usque ad terminum praefixum, si quem praefigere voluit? Nec nova cura, dependentia vel sustentatione jam opus erit, sed ipsis ab initio cui-que



13.

que virium satis largiri potuit. Et cur non  
fecisse autumandus? Nec enim visitare  
eum omnia elementa et universae partes,  
sicut medicus aegrotos, credendum est.  
Quid ergo de conscientiae testimonio di-  
cendum, et unde illi animi metus exma-  
lefactis, si non constaret nobis, specu-  
latorem et vindicem adstare desuper,  
cui ista displiceant, utpote cultui ejus  
omnino contraria? Non jam animus  
est, naturam boni et mali, nec pericula  
præjudiciorum et plurimi timoris, vani-  
tates ex præconceptis opinionibus ori-  
undas ulterius persequi. Id tantum  
dico, inde hæc ortum ducere, quia  
nempe omnia malefacta nituntur in  
corruptionem et inversionem harmoniæ sub-  
veniendi mutuæ indigentiae, quæ ge-  
nus humanum sustentat, et quoniam  
opinio de eo, qui promovere magis, quam  
adjuvare indigentiam istam velit, odi-  
osum eum reddit; Unde contingit, ut  
ipse timeat, ne vel aversionem aliorum  
et contemptum incurrat, vel aequalem  
denegationem subveniendi indigen-  
tia suæ, vel amittat potentiam suam in-  
super,



<sup>14.</sup> super, tum aliis, tum sibi succurrendi, quatenus nempe spoliationem potentiae nocendi a reliquis metuere debet. Atque ita agere ajunt, eos, qui non habent lumen scriptura sed secundum naturae lumen pro conscientiae suae dictamine, quod certe arguat, incidisse Deum intellectui communi hominum scintillas suae cognitionis et voluntatis aliquas, secundum quas agentes recte fecisse dicendi sint, et quanam ratio horum contendit Deum dictaminum esse queat, si non haec sit? Ceterum num bestiae secundum cluctum rationis agant? multis rationibus disputatur, nec jam decisum est; quod tamen non moveo. Quis tibi dixit, quod id non fiat? aut quod politum brutum rudi homini et sylvestri quandoque intellectu et facultate judicandi non praestet? ut autem quod reverum est, dicam: plurima otiosorum hominum pars, qui ex cogitationibus rerum subtiliorum et communem captum excedentium vacarunt, ut suo fastui satisfacerent atque utilitati, multas subtile regulas excogitarunt, quibus nec



15.

nec Tyrsis nec Alexis cura sua pastorali  
et rustica impediti, vacare potuerunt.  
Unde hi fidem otiosis speculationibus  
habuere, quasi sapientioribus, adele  
et aptioribus ad imponendum insi-  
pidis. Hinc, bone Alexi, abi, Panes, Syl-  
vanos, Satyros et Dianas etc: cole; isti  
enim magni Philosophi tibi communi-  
cationem somniū Pompilianī facient,  
et concubitus cum Nymphā Egeria  
narrare, et hoc ipso ad istorum cul-  
tum adstringere volent, proque mer-  
cede sui operis et reconciliatione ac  
favore illarum invisibilium potentia-  
rum sacrificia, succumque gregis et  
sudorem tuum pro sua sustentatione  
desiderabunt. Et hinc, quia Titurus  
Panem, Alexis faunos, Roma Martem,  
Athenae ignotos Deos coluere, creden-  
dum est, bonos istos homines quædam  
ex lumine naturæ cognovisse, quæ otio-  
sa speculantum inventa et attributa  
erant, ne quid inclementius in aliorum  
religiones dicam. Et cur hac ratio  
non etiam dictavit, aberrare eos in  
cultu, ligna et lapides tanquam Deo-  
rum



16.

rum suorum habitacula ridicule colere?  
 At vero credendum est, quia bona foemel  
 lae Franciscum, Ignatium, Dominicum  
 et similes tanto cultu prosequunbur, di-  
 ctare rationem ad minimum, sanctorum  
 hominum aliquem esse colendum, et istos  
 ex lumine naturae proficere cultum ali-  
 cuius potentiae superioris jam non visibi-  
 lis? Cum tamen haec sint commenta oti-  
 osorum nostrorum sacerdotum, pro sua  
 sustentationis laetiori incremento.

Ergone Deus non est? Esto; sit! Ergo  
 colendus? At hoc non sequitur, quia cul-  
 tum non desiderat. Sed desiderat quia  
 id inscripsit cordi; [est]o insuper et hoc in-  
 scriptum cordi!] quid tum amplius?  
 Sequemur ergo naturae nostrae ductum.  
 At is cognoscitur imperfectus esse? In  
 quibus? sufficit enim ad societatem  
 hominum sic satis tranquille calendum.  
 Nec enim alii religiosissimi revelatio-  
 nem secuti felicius vitam transigunt.  
 At maius est, quod de nobis exigit  
 Deus, imprimis cognitionem Dei ex-  
 actiorem? Sed tu, qui id spondes,  
 cuiuscunque religionis sis, non praefas.  
 Auid



17.

Quid enim Deus sit, in revelatione quā-  
licunque obscurius longe est quam antea.  
Et quomodo conceptibus intellectus id  
clarior s̄t̄s, quod omnem intellectum  
terminat? Quid tibi videtur de his:  
Deum n̄mo novit unquam [55]  
item: oculus non videt [1. Corinth. 2. p. 9.] item:  
habitat in luce inaccessibilis [1. Timoth. 6. v. 16]  
item: post revelationem adhuc in ænigma-  
te? [ ] At quanta ænigmatis  
claritas sit, cuique notum credo. Verum  
unde tibi constat, Deum ista exigere?  
An ex desiderio intellectus terminos sui  
captus superandi, et omnia perfectius  
quam facit, concipiendi, an aliunde?  
Ex speciali revelatione. Quis es, qui  
hoc dices? Bone Deus! quanta reve-  
lationum farrago! Oracula Ethnico-  
rum prodis? Hæc jam risit antiquitas;  
Sacerdotum tuorum testimonia? Sacer-  
dotes tibi offero contradictorios; Pugne-  
tis invicem; Sed quis iudea erit, quis  
controversia finies? Moyses, Propheta-  
rum et c̄lpostolorum scripta profers? Op-  
ponit se tibi Coranus, qui hæc corrupta  
dicit ex novissima revelatione, et autor  
ejus



19.  
ejus divinis miraculis se gloriatur, corru-  
ptelas et altercationes Christianorum gla-  
dio secuisse, uti Moses Ethnicorum. Vi  
enim Mahomet, vi et Moses Palæstinam  
subjugavit, uterque magnis miraculis  
instructus. At sectariis istorum Vedæ et  
Brachmannorum ante 1400 retro secula  
obstant collectanea, ut de Sinensibus ni-  
hil dicam. Tu, qui in angulo Europæ hic  
delitescis, illa negligis, negas, quam bene  
videas ipse. Eadem facilitate enim isti  
tua negabunt. Et quid non miraculo-  
rum supereffet ad convincendos orbis  
incolas, si mundum ex scorpionis ovo  
progenitum, terramque tauri capiti im-  
positam et rerum prima fundamenta,  
ex prioribus tribus Vedæ libris consta-  
ret, nisi invidus aliquis Deorum filius  
haec tria Volumina primo furatus esset.  
Nostræ id ridebunt, et apud eos novum  
hoc stabilienda sua religionis argumen-  
tum foret, non tamen nisi in cerebro sa-  
cerdotum suorum fundamentum ha-  
bens. Et unde alias profecta tot immen-  
sa de Diis Ethnicorum volumina et  
mendaciorum plauftra? Sapientius  
Moses,



Moses, qui artibus primo occultis etegyptiorum excultus, id est, astrorum et Magie cultu, dein armorum ferocia Palæstine regulos sedibus suis extrusit, et sub specie colloquii Pompiliani fidentem rebus suis exercitum in otiosorum hominum possessiones adduxit; scilicet ut ipse esset Dux magnus; et frater ejus sacerdos maximus, ut ipse Princeps et Dictator aliquanti populi esset. Alii per vias dulciores et delinimenta populi sub profunda sanctitate, [horresco reliqua proferre!] et eorum sectarii per pias fraudes in occultioribus conventiculis primo imperitam paganorum plebem, dein et ob vim pullulantis novæ religionis timentes de se et otiosos populi Principes occuparunt. Tandem aliis belli studiosus ferociores Asiae populos, a Christianorum Imperatoribus male habitos, fictis miraculis ad se adscivit, sub promissione tot beneficiorum et victoriarum, exemplo Mosis, discordes et otiosos Asiae Principes subjugavit, et peracinanem [pertinacem] religionem suam stabilivit. Prior Ethnicismi, alter



<sup>20</sup> alter Iudaismi, tertius utriusque corrector  
habitus; quis Mahometismi futurus sit,  
videndum est! Scilicet eo credulitas  
hominum fraudibus subjecta est, cuius  
abusus sub specie alicuius utilitatis  
merito impostura vocatur. Cuius in ge-  
nere natura et specie hic latius e-  
volvere, nimis et prolixum foret et tædi-  
osum. Ceterum id nobis observandum,  
quod concessa etiam naturali religione  
et debito cultu divino, quatenus per na-  
turam dictari dicitur, jam omnis nova  
religionis Princeps impostura suspectus  
fit, potissimum cum quanto in religione  
aliqua propaganda fraudes intervenie-  
rint, in aprico omnibus sit, et ex dictis  
et dicendis obvium. Manet ergo id se-  
cundum suppositum prius immutabile:  
Religionem et cultum Dei secundum di-  
ctamen luminis naturalis consentane-  
am et veritati et æquitati esse. Qui vero  
aliud quid circa religionem statuere  
vult, vel novum vel dissonum, idque au-  
toritate superioris potestatis invisibilis  
suam reformandi potestatem evidenter  
probet necesse est, nisi ab omnibus impo-  
ston



21

stor haberi velit, qui omnium sententiarum ad-  
versatur, non sub concluso ex naturali  
ratione sed sub revelationis specialis au-  
toritate. Insuper sit ejusmodi vita aemo-  
rum probus, qui a multitudine dignus  
credi posset, quem tam summum et san-  
ctum Numen in suam conversationem  
recipiat, cui nihil placuit impuri quid-  
quam; Nec id solum propria confessio,  
aut vita sic satis sancta anteacta aut  
miracula aliqua, id est, actiones qua-  
dam extraordinaria probare poterunt;  
nam et id magis artificiosis et de-  
ceptoribus hominum mendacibus, hy-  
potritis commune est, qui ex iisdem  
rebus commodum aut gloriam auco-  
pantur; nec etiam id attendendum,  
eo vesania quosdam processisse, ut  
sponte mortem appeterent, quo con-  
temnere omnia et vincere crederen-  
tur, ut varii apud Philosophos Vete-  
res. Nec enim credendum peculiari-  
bus eos divinis viribus suffultos fu-  
isse in eo, quod ex inani imaginati-  
one et vana aureorum montium pro-  
missione propter defectum iudicij per-  
petrarunt.



22  
petrarunt. Hui enim nec rem satis judica-  
runt, nec rei Doctores; Quos ut probe  
discernas, dixi, non solum proprium eo-  
rum testimonium non sufficere, sed et  
ipsoſ inter ſe, et alios testes cum ipſis  
conferre opus erit, eosque tum notos et  
familiares, tum ignatos, tum amicos  
et inimicos. Atque dein collectis omni-  
um testimonioſ, tum cuiusque Doctoris  
de ſe ipſo, tum aliorum, veritatem rei  
penetrare. Sed si testes ipſi nobis igno-  
ti ſint, testes de testibus et ſic porro  
consulendi erunt; adjecto inſuper ex-  
amine de ſua judicandi facultate, an  
capax ſit, falſum talibus aut aliis cir-  
cumſtantioſ maxime verofimilibus in-  
volutum a vero diſcernendi, addita  
inquisitione, unde eas veritatis cogno-  
ſcenda notaſ hauererit. Collato adhuc  
aliorum judicio, quid hi ex tali demon-  
ſtratione vel testimoniū colligant.  
Atque hinc concludere licebit, an verus  
revelatioꝝ voluntatis divinaꝝ nuncius  
ſit, qui id pro ſe fert, et an dictamen ejus  
preſſo pede ſequendum ſit. At ne hic in cir-  
cūlum incidiamus omnino cavendum eſt.  
Cumque



Cumque primiarum religionum ea sit na-  
tura, ut una aliam presupponat, ut c. Mosis  
Paganismus, Messiae Gudaismus, Maho-  
metis Christianismus, nec semper aut quo-  
ad omnia, sed certis solum ex partibus  
posterior priorem rejiciat, quoad reliqua eti-  
am in priori se fundet, ut Messias faciunt  
et Mahumet; opus erit, non solum postre-  
mam et medium vel priorem, sed omnes ac  
singulas accurate perlustrare, præcipue  
cum in quavis secta impostura arguantur,  
uti veteres a Messia quod legem corrup-  
tit, Christiani a Mahumeto, quod corru-  
perit Evangelium. Quoad hoc nil mirum,  
cum et Christianorum secta, altera alte-  
ram corrupti Textus Novi Testamenti ar-  
guat; ut constare queat, an et hic, qui ini-  
tandus proponitur, verus religionis autor  
sit, et quatenus ii, qui se præpositos di-  
cunt, audiendi sint. Nulla enim hic in  
examine secta prætermittenda, sed omnis  
conferenda citra qualeunque præjudi-  
cium. Nam si unica intermittatur, ea  
forsitan ipsa est, quæ verior est. Ita qui Mo-  
sen sequetur, veritatem secutus erit, etiam  
secundum Christianos. Ceterum in eo solo  
non

24 non debebat subsistere, sed et veritatem religionis Christianæ indagare. Optimos equidem suos Doctores esse, una quæque secta asserit, et quælibet se id expertam et quotidie adhuc experiri, nec dari alios meliores. Adeo ut vel omnibus credendum, quod ridiculum, vel nulli, quod est securius, usque dum vera sit via cognita, ne tamen ulla in collatione prætermittatur. Non obstat quod, ut cognoscatur, bis duo esse quatuor, opus haud sit, omnes Mathematicos congregare; Res enim non est eadem, nam quia nemo visus est, qui dubitavit, an bis duo quatuor sint; cum e contrario religiones nec in fine nec in principiis nec in mediis concordent. Ponamus sic ignorare me rectam salutis viam, si sequar interim Brachmannos vel Coranum, nonne Moses et reliqui dicent: ecquid mali tibi a nobis profectum est, quod ita rejiciamus, meliores interim et veriores? quid respondere debemus? Credidi Mahumeti vel Gymnosophistis, in quorum doctrina natus et educatus sum, et unde intellexi, tuam et sequentem Christianorum religionem jam dudum abolitam,



tam, et corruptam vel corruptrices esse. Nonne  
reponent, nescire se quidquam de illis, et de  
vero salutis ductu, quoque scirent esse,  
quod corruptores sint et impostores, fictis  
miraculis et mendaciis populum decipi-  
entes; Nec ita simpliciter fidem adhiben-  
dam uni homini vel sectæ, rejectis citra  
omne vel debitum examen reliquis omni-  
bus. Eodem enim jure dicere Aethiopem,  
qui non sortitus sit de suis terris, non  
clari alterius quam nigri coloris homi-  
nes sub sole. Praterea et id in examine  
reliquarum sectarum attendi cebet, ut  
par in omnium inquisitione diligentia  
adhibeat, nec altera ingenti opera  
illustrata, reliqua vix levi brachio tan-  
gantur, statim ob unam vel alteram po-  
sitionem primo intuitu iniquam visam,  
aut ob famæ malos de Principe ejus  
sectæ rumores, a tergo rejectis reli-  
quis. Nec enim confessim pro eloquitate  
vel indubitate testimonio habendum, quod  
vaqabundorum primus quisque de ad-  
versa religione adseruerit. Eodem mem-  
pe jure primitus communī fama et so-  
la nominis recensione Christiana re-  
ligio



26  
ligio horroris aliis erat, aliis ludibrio, apud  
hos, quod a fini caput colerent, apud illos,  
quod Deos suos comedelerent ac liberent;  
et cetera; ut Christianum esse id cladem  
capitalem Dei et hominum inimicum esse  
reputaretur, cum tamen istiusmodi narra-  
ta, vel male intellecta vel egregia men-  
dacia essent, quae inde confirmabantur  
partimque orta erant, quod hostes illius  
religionis vel plane non, vel non recte  
cum ipsis Christianis, et ex his cum sci-  
entioribus conferrent, verum primo vel  
idiotæ vel desertori aut inimico ejus  
crederent. Cumque ita proposita ex-  
aminis ratio tantæ difficultatis sit res,  
quid de infantibus dicemus, quid de foe-  
minis, quid de maxima plebis parte?  
Exclusi jam erunt a securitate sua religi-  
onis infantes omnes, et foeminarum maxi-  
ma pars, cui et ea quoque, quæ clarissime,  
quoad fieri potest, ex principiis alicujus  
religionis deducuntur, tenebra sunt, et ex  
earum modo vivendi probe conspicis, non  
habere ipsas, nisi per paucissimas excipias,  
tam exactam facultatem penetrandi ejus-  
modi mysteria; Ut nihil de infinite  
minuti



27.

minuti populi aut rusticorum dicam, quibus alimentorum suorum quaestio pro summa rationis est; reliqua bona fide vel adsumunt vel rejiciunt. Ita scilicet minima orbis parti tantum superest, ut omnes religiones ponderet, suam exacte conferat, rationes veritatis vel fraudis, in quibus nempe minutis decipi possit, probe discernat; sed potior numerus aliorum fidem, ut plurimum rerum sacrarum professorum, quorum scientia et judicandi in saceris facultas notoria habetur, sequitur; idque in quavis religione, quod potissimum faciunt ii, qui legere vel scribere nequeunt, aut quod legant non habent. Notandum autem erat, quod hic non sufficiat religiosis alicuius Doctores notitia et experientia professa satis accurate pollere, ut verum a falso discernere queant; sed et reliquis certo certius, et iudicio non minus accurato id constare debet, insuper habere illos verum a falso discernendi non modo facultatem, sed et manifestandi voluntatem. Certi quippe ad prime esse debemus, nec falli nec fallere velle eum, qui ejusmodi scientiam et voluntatem



luntatem profitetur. Et qualem hic inter tot diversissimos etiam unius sectae palmaria Doctores electionem faciemus? Quin enim si socios et collegas intueamur, qui in plurimis sententiis disconveniunt, ceteroquin amicissimi, alteruter dissensiens id faciet propter aliquem defectum, vel quod rem non intelligat recte, atque ita facultate judicandi careat, vel quod cedere nolit, et ita voluntatem vera fatendi non habeat. Ac licet hoc tantum in articulis secundariis contingere, tamen suspecti hi redduntur etiam quoad reliqua, in utroque quippe veritas non est, et qui una in parte ab ea vel ex defectu judicandi, vel ex voluntate depravata recedit, ejus rei etiam in reliquis suspectus, atque id merito redditur. Quare, ut judicare possis de habilitate et ingenuitate alicujus Doctoris in religione, primo, aequa habilis sis ac ille, necesse est, alias enim facillime tibi impone-re poterit: et ille praeterea, si tibi nondum sit notus, testimonio aliorum indigebit, et hi rufus aliorum, quod ad



ad infinitum tendit; Nec scilicet veritatis,  
scilicet docuisse ipsum talia, sed et ingenu-  
itatis citra fraudem id fecisse, et de testi-  
bus ingenuitatis et dictorum itidem ra-  
tio omnino habenda erit. Quem vero hic  
terminum pones? Nec id satis est, apud  
alios talia jam disputata fuisse, quam  
bene etiam id factum sit, violendum.

Communes namque demonstrationes, quae  
publicantur, nec certae nec evidentes  
sunt, et res dubias proclant, per alias  
sapientius magis dubias; adeo ut exemplo  
eorum, qui circulum currunt, ad ter-  
minum semper redeas, a quo currere  
incepisti.

Finis



30.  
In riuas quinque in Bibliothek brachii sive nor-  
dinus Linnæi Holmianae Tituli:

Damnatus Liber

de

Tribus Impostoribus

qui

dicit in æternos aspera verba Deos.

Damnum efficiet

Lectorem,

Si ipsius auctorem non clamnat  
et excreatur.

In Linnæi Quæstiōne Criticā nōrū Jahr  
1716. pag. 192. multa, manu fabr. mirellis  
nōrū Linnæi, multibz̄ dñb de tribus impostori-  
bus s̄. Et pauq̄ s̄. alio an:

Quamvis omnium hominum intersit  
noſe veritatem, rari tamen illi boni, qui  
eam norunt. Investigare enim nesciunt  
alii, alii fermeant laborem, quem phi-  
losophia hæc poscit. Inde ergo nemo mi-  
natur, mundum regi opinionibus stultis  
risumque merentibus; ignorantia nam-  
que fecunda opinionum mater, ut quo  
quisque aliquid scit minus, eo plures  
opiniones configat, saltem ut fari pos-  
sit.



35  
sit. Hæc una origo sententiarum fal-  
sissimarum de Divinitate, spiritibus et  
anima, quæ circumferuntur in orbe.

Placemus nobis prejudiciis nobiscum  
natis, salemus sequi homines pecuniosos,  
qui antiquas opiniones pertinaciter tu-  
entur, et partim aliter sentiunt aliter  
loquuntur, metu, ne sincere loquentes  
et veritatem aperte prodentes in Priami  
calamitates incident. etc.

Inr 8. g. 1. 3. Virg. Ene. 6. fr. 3. locynudor =  
Sat diu fuimus fatui, quanquam omni  
tempore vixerint sincerae animæ quæ in  
hanc injustitiam in ueste sunt, ut nos  
fecimus in hac opella. Qui veritatis  
amantes sunt, multum solatii inde ca-  
pient, et hi sunt, quibus placere gesti-  
mus nil curantes mancipia, que pre-  
judicia oraculorum infallibilium loco  
venerantur.



32





34





